

3 **Conspectus Crustaceorum Groenlandiæ.**

Auctore
Henrik Krøyer.

Conspectus, qui sequitur, epitomæ maxima e parte commentationis est danica lingua conscriptæ de Amphipodis [groenlandicis (Grönlands Amphipoder, beskrevne af Henrik Krøyer &c.), cui tamen nonnulla adjecta sunt (inprimis diagnoses Crustaceorum extra ordinem Amphipodorum), paucissima quædam immutata. Descriptiones hujus commentationis copiosas delineationesque sæpius [allego inscriptione: Krøyer Grönl. Amph.

Crustacea, quæ investigavi, groenlandica, partim in Museo Societatis „den naturhistoriske Forening“ asservantur, partim et præcipue in Museo regio hafniensi, cujus mihi liberrimus patuit aditus benevolentia clar. Reinhardt, qui huic præest Museo. Nomina nova, quæ speciebus nonnullis in catalogo Musei regii tribuit cel. Reinhardt semper retinenda putavi.

In characteribus generum et specierum respicitur ubique præstantissimum clar. Milne-Edwardsii opus „Histoire des Crustacés“, commentationesque ejus in Ann. d. sc. natur.

1. **CHIONOECETES*) OPILIO** Kn.

Cancer Phalangium, Fabricii Faun. groenl. n. 214.

Cancer Opilio Fabr. in „det danske Vid. Selsk. Skr. nye Saml. III, 180 seqv., cum tabula.

*) $\chi\iota\omega\nu$ nix, $\omicron\iota\kappa\eta\tau\eta\varsigma$ incola.

Conspectus Crustaceorum Groenlandiæ.

Auctore

Henrik Krøyer.

Conspectus, qui sequitur, epitome maxima e parte commentationis est danica lingua conscriptæ de Amphipodis [groenlandicis (Grönlands Amphipoder, beskrevne af Henrik Krøyer &c.), cui tamen nonnulla adjecta sunt (inprimis diagnoses Crustaceorum extra ordinem Amphipodorum), paucissima quædam immutata. Descriptiones hujus commentationis copiosas delineationesque sæpius [allego inscriptione: Krøyer Grönl. Amph.

Crustacea, quæ investigavi, groenlandica, partim in Museo Societatis „den naturhistoriske Forening“ asservantur, partim et præcipue in Museo regio hafniensi, cujus mihi liberrimus patuit aditus benevolentia clar. Reinhardt, qui huic præest Museo. Nomina nova, quæ speciebus nonnullis in catalogo Musei regii tribuit cel. Reinhardt semper retinenda putavi.

In characteribus generum et specierum respicitur ubique præstantissimum clar. Milne-Edwardsii opus „Histoire des Crustacés“, commentationesque ejus in Ann. d. sc. natur.

1. CHIONOECETES*) OPILIO Kr.

Cancer Phalangium, Fabricii Faun. groenl. n. 214.

Cancer Opilio Fabr. in „det danske Vid. Selsk. Skr.

nye Saml. III, 180 seqq., cum tabula.

*) $\chi\lambda\omega\upsilon$ nix, οὐκρητης incola.

Cancer hic brachyurus, secundum methodum Edwardsii, inter Oxyrhynchos macropodes referendus est, genus vero efficit novum, quod in multis cum Inacho convenit, mediumque locum inter Inachum et Hyaden obtinere mihi videtur.

Char. gen. Cephalothorax depressus, subtriangularis, eadem fere longitudine ac latitudine, antice truncatus, fronte lata rostroque horizontali bifido, brevissimo. Pedes secundi paris duplicem cephalothoracis longitudinem superantes, triplicem vero non attingentes; pedes tertii paris secundum fere longitudine æquantes; pedes primi paris secundis tertiisque breviores, cephalothorace vero longiores (interdum duplo), chelis acuminatis, falcatis; pedes secundi tertii quartique paris compressi, quinti paris subcylindrici. Tertius pedum maxillariorum externorum articulus fere quadratus eadem pæne longitudine ac latitudine; quartus articulus angulo interno tertii adnexus; oculi crassi, in orbitem retractiles; pars antennarum externarum terminalis mobilis est brevissima. Abdomen sex constat articulis.

Exemplum (semina junior longitudine 16^{'''}) ab Omenak allatum examini subjeci. Longitudo cephalothoracis, Fabricio auctore, interdum 4 $\frac{1}{2}$ '' aequal. Cum hic cancer nec peregrinantibus Anglis memoretur, nec, quantum sciverim, in aliis maribus repertus sit, finibus sat angustis circumscriptus videtur.

2. HYAS ARANEUS LEACH.

Cancer Araneus Fabr. Fn. groenl. n. 213.

Cum H. araneo sinus Codani omnino convenit. Exempla a Fiskensset, Holsteinborg, Frederikshaab et Julianehaab transmissa ex-

aminare licuit. Ad oras Islandiæ sat vulgaris videtur. Sabine et Ross cancerum hunc brachyurum non offenderunt.

3. PAGURUS PUBESCENS KR.

Hic Pagurus, etiamsi et Fabricium et Anglos latuit, perrarus ad oras Groenlandiæ non videtur. Exemplum sat multa ad Godthaab, Holsteinborg, Fiskenesset et Omenak lecta ad examen vocavi. Etiam ad oras Islandiæ vulgarior. Sit licet, ad Pagurum Bernardum Miln. Edw. proxime cum accedere, nullus tamen dubito, quin novam efficiat speciem. Dignoscitur

cephalothoracis superficie dorsali
pedibusque pilis flavis dense obsitis,
carinaque dentata valida manus ~~dex-~~
~~tra~~ a basi indicis usque ad carinam
carpi exteriorem porrecta.

sinistra

Non paucas præterea, si hanc speciem cum P. Bernardo conferas, deprehendas differentias: pedunculi oculorum graciliores sunt, media parte minus coarctati, parteque terminali minus turgidi, oculo ipso multo minore; angulus, qui in trochantere pedum primi paris supra efficitur conjunctione superficialium lateralium, minus est acutus, margoque superior multo magis rotundatus; carpus dextræ manus elongatior est, æquatque longitudinem manus ad medium indicem, latitudinemque multo superat; superficies superior carpi manus dextræ peraugusta est sed a superficie exteriori aperte separata serie aculeorum validorum. Manus dextra elongatior est (longitudine cephalothoracis), angustiorque (duplo longior

quam latior); superficies interior seriesqve aculeorum marginis interioris evanescent; series vero aculeorum duæ a basi superficiei superioris ad basin digitorum producuntur; digiti elongati sunt, graciliores, compressi, ungue terminali sat conspicuo armati. Longitudo indicis dimidiam longitudinem a basi ejus ad carpum superat; pollexqve longitudinem ad carpum superat &c. &c.

4. CRANGON BOREAS Phipps.

Cancer homaroides, Fabr. Fn. groenl. n. 218.

Ut editorem Zoologiæ Danicæ (ubi tab. 132da depictus est hic Crangon), ita et Anglos peregrinantes latuit, C. homaroidem Fabr. et Mohrii (Islandsk Naturhistorie p. 108 tab. V) idem esse animal ac Cr. Borean. Ab oris Norvegiæ et Spitsbergon usqve ad Kamtschatkæ et Californiæ habitatas; ab his enim retulisse fertur Bechey (Appendix to the Voyage of Ross).

5. CRANGON SEPTEMCARINATUS SABINE!!

Sabinea septemcarinata Owen!!

Duo exempla Crangonis groenlandici (in Museo Soc. ad Hist. natur. promovendam Hafniæ institutæ servata) examinare licuit, de quibus valde dubius hæreo. Olim mihi arridebat sententia, ad speciem a Sabino nomine supra allato descriptam referenda esse, etiamsi instructa sunt manu pusilla pedum secundi paris. Rationes, quæ ad hanc me perduxerunt sentiam, hæc ferme fuerunt: in ceteris plurimis cum Cr. septemcarinato Sab. optime convenire; Oweniumqve etiamsi novum genus Sa-

bineæ condat, Cr. septemcarinatum fortasse non examinasse, cum descriptionem Sabini totidem verbis modo transcribat; verisimilius videri, Sabinum de pedibus secundi paris humanum quid passum fuisse, quam Grönlandiam duos alere Crangones simillimos, quorum alter instructus sit manu secundi pedum paris alter careat & cet. Cum vero hodie minus tuta mihi videantur hæc argumenta, cumque in paucis quibusdam aliis exempla a me examinata a Cr. septemcarinato Sab. discrepare videantur (si accurata est figura Sabini) in medio relinquere necesse est, utrum nova sit species, nec ne. A Crangone cataphracto diversus quoque videtur.

6. HIPPOLYTE ACULEATA.

Cancer aculeatus Fabr. Fn. groenl. n. 217.

Alpheus aculeatus Sab. tab. II fig. 9—10.

Hippolyte aculeata Owen App. to Ross.

Haud infrequens in mari boreali. Exempla a Sydpröven, Frederikshaab, Fiskenæsset, Godthaab et Nennortalik examini subjecti.

7. HIPPOLYTE SOWERBEI Ross (App. tab. B. fig. 2).

Rossii addidi nomen non Leachii, quia exempla a Julianehaab, Fiskenæsset &c. missa et examini subjecta cum exemplis a Rossio lectis convenire plane videntur; incertior vero sum, an cum Leachii H. Sowerbei omnibus numeris concordent. Rarior obvenit nec a Fabricio memoratur. Incertus hæreo, utrum distincta sit species, an varietas sequentis.

8. HIPPOLYTE POLARIS SAB.

Cancer Squilla Fabr. Fn. groenl. n. 216.

Alpheus polaris Sabine tab. II fig. 5—8.

Hippolyte polaris Ross App.

Exempla vidi ab Omenak, Holsteinborg
Fiskenæsset, Julianehaab &c. missa.

9. HIPPOLYTE BOREALIS OWEN (Ross App. tab. B. fig. 3).

Nonnulla rimatus sum exempla, colore pallidiori insignia; duabusque modo instructa spinis utrinque marginis anterioris cephalothoracis; quæ exemplaria cum *H. boreali* Ow. congruere videntur. Monendum vero hic est, carinam cephalothoracis, formam rostri numerumque dentium minime convenire in diversis hujus et antecedentis speciei exemplis; in nonnullis rostrum vidi concavum, sæpius vero rectum; in aliis 8—10 rostri dentes, in aliis 4—5, in aliis prorsus nullos inveni nec supra nec infra; carina modo extenditur, modo fere evanescit.

10. FANDALUS BOREALIS KR.

Hic Pandalus, cujus non pauca a Groenlandia missa exempla examinare licuit, primum, descriptione Desmarestii ducto mihi, Pandalo Narval sat affinis visus est (Gr. Amph. p. 88); postea vero, cum ad me pervenerit pars secunda operis Edwardsii (Hist. des Crustacés), intellexi Pandalum groenlandicum in plurimis congruere cum Pand. annulicorni, qui, Edwardsio auctore, ad oras quoque Islandiæ reperitur. Nuperrime vero mihi contigit comparationem instituere cum Pandalo annuli-

corni a sinu Codano, quo certior sum factus, *P. borealem* ab *annulicorni* discrepare.

Corpore graciliori est, magis compresso; rostro minus recurvo, sedecim vel septendecim marginis superioris instructo dentibus, qui, a medio circiter cephalothorace incipientes ad finem fere rostri pertinent, dentibus marginis inferioris ad basin minus validis; pedunculo oculorum breviori, sed ipso oculo multo crassiori; spinis duabus dorsalibus annuli tertii (quarum altera ex medio fere annulo retro prominet, altera ex margine posteriori) spinaque unica e margine posteriori annuli quarti prominente; annulo sexto abdominis multo longiori. — A *Pand. Narwa* distinguitur rostro longitudinem cephalothoracis æquante vel paulum modo superante; pedibus primi paris appendice antennarum externarum brevioribus; pedibus quarti quintique paris spinosis.

Hæc species, etiamsi a Fabricio, Sabino et Rösio, non reperta, minime tamen rarissima videtur, cum a Sydpröven, Julianehaab, Fiskeræset &c. plura missa sunt exempla.

11. *MYSIS OCVLATA*.

Cancer oculatus Fabr. Fn. groenl. n. 222. Tab. fig. 1.

— — — Vidensk. Selsk. Skr. nye Saml. I, 565. Tab. fig. 2.

Char. spec.: Rostrum brevissimum obtusum; appendix antennarum externarum elongato-ovalis, ciliis undique obsita; incisura laminæ caudalis obtusa.

Certum indubitatumque est, *Mysidem* hanc a *Myside flexuosa* sinus Codani diversam esse.

Oweniumque, quum speciei groenlandicæ nomen flexuosæ tribuerit, errasse. Verosimile mihi videtur, M. Fabricii Leach eandem esse ac M. oculatam. Quid de altera Groenlandiæ Myside (Cancer pedatus Fabr. Fn. gr. n. 221) quam nunquam vidi, etiamsi, Fabricio auctore „stupenda multitudine“ obvenit, sentiendum sit, nescio. Haud facile tamen adducor, ut credam, distinctam esse speciem.

ANONYX Kr.

Char. gen.: pedunculus antennarum superiorum crassissimus, ovalis; inferiorum multo gracilior cylindricus; (oculi magni); pedes primi paris breviores, parvulo instructi ungue; pedes secundi paris sat elongati, gracillimi, ungue carentes (quinquearticulati), ejusque vice ad finem articuli quinti plurimis validisque præditi setis.

12. AN. VAHLII (Lysianassa Vahlî Rhrdt.*).

Krøyer Gr. Amph. p. 5.

Antennis brevibus, invicem eadem fere longitudine, quartamque totius longitudinis**) partem effici-entibus; oculis elongato-reniformibus.

Longitudo 4—5". Ad Godthaab repertus est.

13. AN. LAGENA (Lysianassa Lagena Rhr.).

Krøyer Gr. Amph. p. 9. tab. I. fig. 1. a—n.

Antennis brevibus; inferioribus superiores ter-tia parte antecellentibus, quartamque totius longi-

*) Nomina, quæ in Catalogo Musei regii speciebus quibusdam a cel. Reinhardt indita sunt, semper retinui.

**) ... frontali et laterali appendicem caudalium.

tudinis partem æquantibus, oculis clavæ formam referentibus.

Longitudo 12". Ad Omenak repertus.

14. AN. APPENDICULOSUS Kr.

Krøyer Gr. Amph. p. 12. tab. 1. fig. 2. a—f.

Antennis longioribus; inferioribus dimidia fere parte superiores vincentibus, dimidiamque totius longitudinis partem æquantibus; flagello antennarum omnium terminali ad finem uniuscujusque articuli monstrante appendiculum; oculis clavæ imaginem referentibus.

Longitudo 12—13". Ad Omenak et Godthab detectus.

15. GAMMARUS SABINI Leach.

Sabine app. tab. 1. fig. 8—11.

Krøyer Gr. Amph. p. 16. tab. 1. fig. 3. a—m.

Cum crustaceum hoc animal inter maxima numerandum sit Amphipoda*), adque oras Groenlandiæ ubique sat vulgare videatur, mirum est, fugisse illud sagacitatem Fabricii. In sinu Codano quoque habitare, jam cognitum et compertum habeo**). Hoc loco non inutile erit notare: in pullis nulla vestigia carinæ spinarumque dorsalium apparere; numerum articularum antenna-

*) A margine frontali ad apicem appendicem caudalium interdum 16" explet.

***) Hac de re incertus diu hæsi, quia modo animalia juniora in sinu Codano deprehendi. His vero diebus majora exempla, quæ omnes speciei exhibent characteres, e ventriculo Gadi Callariae hausi.

rum multo esse minorem quam in adultis; antenas pedesque esse crassiores, longioresque habere setas; formam oculorum non prorsus eandem, caput majus & cet. In aliis quoque Amphipodis similes inter pullos et adultos deprehendimus differentias. Quas qui neglexerit, facile meras retatum discrepantias pro speciebus habebit.

16. GAMMARUS LORICATUS Sab.

Sabine app.

Kröyer Gr. Amph. p. 22. tab. I. fig. 4. a—d.

Unicum modo exemplum a Groenlandia meridionali transmissum inque Museo regio asservatum examinare licuit.

17. GAMMARUS PINGVIS Kr.

Kröyer Gr. Amph. p. 24. tab. I. fig. 5. a—f.

Ch. sp.: Oculi reniformes, antennæ inferiores superiores tertia parte vincentes; dorsum læve (per totam longitudinem nullum carinæ, dentium, spinarumve exhibens vestigium); manus primi secundique pedum parvis exiguæ, fere lineares, ungula præditæ parvæ; appendix caudalis unica, lamellaris, postice obscurius triloba, duabusque instructa setis minutissimis.

Longitudo 5—6".

Pauca exempla ad Julianehaab lecta exploravi.

18. GAMMARUS LOCUSTA Mont.

Fabr. Fn. grönl. p. 254. n. 231. Oniscus Pulex.

Kröyer Gr. Amph. p. 27.

Gammarus nigax Anglorum??

Inter Amphipodos Groenlandiæ maxime vulgaris

undiqve magnaqve copia transmittitur. Exempla e Groenlandia, Spitsbergen et sinu Codano comparata omnibus numeris expertus sum congruentia, nisi quod in mari boreali ad ampliorem exerescunt magnitudinem.

19. AMPHITHOÆ CARINATA Ehrdt.

Krøyer Gr. Amph. p. 28. tab. II. fig. 6. a—k.

Ch. sp.: frons rostrata, rostrum horizontale, obtusum, mediocris longitudinis; antennæ æquales; oculi parvi, longitudinaliter elliptici; corpus valde compressum, dorsum per totam longitudinem carinatum, postice vero (a sexto annulo ad undecimum) dentatum; unguæ pedum quinti, sexti et septimi parvis extorsum retroqve flexæ; appendix caudalis unica, postice profunde incisa, spinis duabus minutis terminalibus prædita.

Longit. 15'''.

Inter Holsteinborg et Godhavn lecta est hæc species.

20. AMPHITHOÆ HYSTRIX.

Acanthosoma*) Hystrix Owen (Ross. app. tab. B. fig. 4—7.

Krøyer Gr. Amph. p. 31. tab. II. fig. 7. a—k.

Ch. sp.: frons non rostrata; antennæ superiores dimidiam inferiorum partem non æquantes;

*) Characteres, quibus suffulcit genus Acanthosoma celeberrimus Owenius, nullius prorsus sunt momenti, partim modo distinctioni specierum utiles (ut „antennæ inæquales, superiores dimidio breviores“); partim omnibus Gammarinis communes (velut: „articulo ultimo [antennarum] e plurimis segmentis formato“). Tanto potius igitur delendum est hoc genus,

oculi orbiculares convexi, corpus parum compressum, annuli thoracis, et abdominis anteriores tres aculeorum series quinque præbentes; primus thoracis annulus præ ceteris aculeatus, cornu instructus procumbente et ad caput prominente; epimeri femori solito minus appressi, plerumque in aculeos producti; manus lineares, ungula præditæ minuta; appendix caudalis unica, postice aliquantulum emarginata.

Pauca modo examinavi exempla, ad oras Groenlandiæ meridionales (Fiskenæsset, Godthaab, Julianehaab) omnia lecta.

21. AMPHITHOE SERRA Kr.

Fabricii En. grœnl. n. 237. Oniseus serratus*).

Krøyer Gr. Amph. p. 38. tab. II. fig. 8. a—l.

Ch. sp.: frons rostrata, rostrum perpendiculare, acuminatum, sat longum; antennæ superiores longiores, oculi minutissimi orbiculares; pedes primi paris fere setiformes, manu carentes, ungula instructi perpusilla; pedes secundi paris crassiores

quam jam prius ni fallor, cel. Westwood generi Hymenopterorum nomen Acanthosoma indiderit. — Genus quoque Acanthonatus Ow. super arenam structum videtur.

*) Cum cel. Say speciem generis Amphithoes ad Oras America lectam, a Fabriciana vero prorsus diversam, nomine serratæ proposuerit, eaque species, a Mil. Edw. recepta, auctoritatem obtinuerit, nomen Fabricii specificum sit licet et aptissimum et ætate prævalens, ne confusio oriretur, si non prorsus relinquendum attamen immutandum duxi, ideoque speciei Fabriciano Serræ nomen imposui.

iidemque manu orbi; corpus compressum, media tamen et inferior pars ventricosa; dorsum carinatum, post anulum quartum etiam dentatum; appendix caudalis unica, postice emarginata.

Exempla ad Godthaab lecta rimatus sum; longitudo, quæ quidem maxima est, in nonnullis $4\frac{1}{2}$ ''' efficit,

(Continuabitur.)